

S. Jacobus, c. I. ait : *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter.* Hinc S. August. in ser. XXII. ad frat. in eremo : « O quam grandis est ipsius orationis causa? Oratione Saulus efficitur Paulus et doctor gentium : Jeremias confortatur in carcere : Daniel inter leones exultat : Job in sterquilinio nudus triumphat : Susanna inter senes defenditur : paradisum de cruce latro invenit : Stephanus de torrente in cœlum suscipitur, et inter lapidantes pro Saulo exauditur. » Quo ultimo exemplo habemus induratos emolliri etiam posse precibus alienis, ut Saulum oratione Stephani. Si ergo alterius oratio impetrare potest inveterato peccatori emendationem, quanto magis propria; et si propria nil impetrat, adhibeatur et aliena. Sane quod protomartyr Stephanus obtinuit Saulo, sectæ suæ pertinaci defensori, hoc etiam alter quidam Stephanus abbas, Grandimontensis ordinis institutor, dum montis Moreti eremum in Aquitania incoleret, militi cuidam seu nobili, ut flagitium, in quo obstinatio hærebat, dimittere suis precibus impetravit. Unde is, qui prius neque ab eo se desistere posse, neque si posset, velle dixerat, repente mutatus, peccatum suum flevit, vitamque correxit, Maiol. l. II. c. II.

III. Christus ascendit in montem, in eo transfigurandus. Adhibe et tu conatum ac serio resolve, quod velis aliam inire viam. Audi Senecam, l. II. de ira, c. XII. « Quodcumque sibi imperavit animus, obtinuit. Quidam ne unquam redirent, consecuti sunt. Vino quidam, alii Venere, quidam omnifariis honoribus interdixerunt corporibus. Didicerunt alii in funibus ambulare, immania onera portare, mergi in profundo, nec respirare. » Delphos sophista quidam profectus fuisse fingitur (in fab. Æsopi) ut periculum faceret de Apollinis scientia et veritate oraculorum. Passerculo igitur manu comprehenso, eoque veste connecto, prope tripodem astitit dixitque : *O Apollo, quod manibus fero, vivumne est, an mortuum? Si dixisset, mortuum, vivum ostensurus erat passerem; si vivum, statim compressum suffocasset et mortuum protulisset. Quid igitur oraculum? Utrum vis, heus tu, facere facito : penes te enim est illud facere : sive mortuum sive vivum ostendere.* Sic omnino reliquit Deus hominem in manu consilii sui (Ecclesiast. XV.) si vult esse vivus et bonus, potest, sin mortuus et malus, æque potest : in manu ejus est vita et mors, posse et non posse beari. Mera itaque electione improbus est et manet. Hinc S. Thomas Aquinas a sorore interrogatus, qui salvari posset? *Volendo, respondit, apud Ferd. Castigl. in hist. S. Dominici. At conatus, inquis, magnus adhibendus, et mons*

virtutis conscendendus est, qui non parum difficultatis habet. Quidni pro regno cœlorum laborare deceat? Nonne homines quidam ethnici, pro terreno lucro vel inani gloria naturam in seipsis tandem correxerunt, cum maximo labore? Demosthenes ille Græcorum orator cum lingua blæsus esset ut litteram R pronuntiare posset, lapillo in os sumpto perorare didicit : laterum quoque infirmitatem labore emendavit : vocis exilitatem et asperitatem exercitatione continua : undosis enim littoribus insistentibus declamationes fluctuum fragoribus obluentibus edebat, ut ad fremitus concitarum concionum aures assuefaceret : domi magnum habebat speculum, cujus ex adverso stans perorare solebat, ut suam actionem inspiceret : lapillis in os insertis aliquamdiu declamabat, ut post ore vacuo expeditius loqueretur, Val. Max. l. VIII. c. VII. Pl. in ejus vita. Et hæc iste omnia seu quæstus, seu vani honoris gratia. Non possit ergo, vel non velit Christianus vitia sua resecuræ propter æternam in cœlo gloriam. Credite mihi, surget in judicio Demosthenes, surgent gentiles, et condemnabunt tales.

Et vero res tanti laboris non esset, modo manus aratro admoveremus : levior enim mox appareret, vel exercitio saltem fieret. At vero multi in luto semper hærent, quia nunquam eluctari tentant : velut ignavæ ancillæ, quæ cœlum undique circumferunt, et nihil operis faciunt, quia fusum nunquam apprehendunt, contra quas dicitur de muliere illa sapiente, Prov. XXXI. *Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum.* Non magno labore stravit Goliathum David, quia magno animo cucurrit ad certamen, et misit manum in peram, et tulit inde lapidem, etc. I. Reg. XVII. Pari facilitate et nos sterneremus nostra vitia inoluta, modo conari et mittere manum ad opus vellemus.

IV. Paulatim ascendit Christus ad transfigurationem. ~~in~~ in Cæsarea Philippi promisit se aliquibus discipulis brevi ostensurum gloriam suam. Inde perrexit ad montem Thabor, distantem a Cæsarea viginti leucis seu horis, teste P. Corn. Matt. XVII. adeoque consumpsit in itinere sex dies, cum in tribus eo venire posset : quia nimirum paulatim progressus interea in castellis prædicavit. Hunc in modum sensim assuefac te ad contrariam vitio tuo virtutem, et paulatim eradicabis illud, quia consuetudo consuetudine vincitur : sic gutta cavat lapidem, non bis sed sæpe cadendo. Disputantibus aliquando philosophis de virtutis difficultate, prosiliens Antisthenes : *Virtus, inquit, assiduitate et studio disci potest.* Inter eremicolas veteres frater quidam

fuit, ut est in vitis pp. l. V. apud Rosweid, libello VIII. qui cum semel ab observantia regulæ excidisset, visa difficultate emendationis mœstus dicebat : *Quando habeo me invenire sicut aliquando eram.* Cui senior quidam narravit apologum de patre, qui misit filium ad expurgandum agrum a sentibus et tribulis : quem cum aspexisset filius plenum undique et urticis, de profectu laboris desperans decubuit in agro et dormivit. Interim venit pater visurus quid profecisset filius. At hic frustraneum præterens laborem nihil se molitum ait, sed in agro dormivisse. Cui pater : *Fili ad mensuram latitudinis, quam jacens in terra occupas, per singulos dies operare, et ita paulatim proficiet opus tuum.* Quod cum filius fecisset, brevi tempore totum agrum excoluit. Hunc in modum egit cum quodam nobili, seu ut habet S. Bern. serm. XXI. quadr. cum quodam cardinali certo alicui vitio assueti S. Bernardus. Cum enim illud ad penitentiam invitaret, nec ille acquiesceret, ait : « Si non vis pacem facere cum Deo; saltem cum eo treguam seu inducias fac. At ille : Quamdiu? Cui S. Bernardus : Abstine tribus diebus pro Dei amore ab omni illicito. Acquivit ille, et Bernardus : Tribus aliis diebus abstine amore Virginis gloriosæ; quod etiam fecit. Demum addit nunc iterum abstineas amore aliorum sanctorum; quod itidem fecit. Cum Bernardus suaderet hoc denuo inchoari, respondit ille : Nolo amodo cum Deo treguam facere, sed continuam pacem. Facile enim mihi nunc est abstinere a malo. » Ita fere Bernardus. Ad extremum nonne bestiae multa mira, et naturæ suæ plane contraria facere docentur? Quid magis horret lepus, quam tympani sonitum? Hinc enim proverbium : Lepus ad tympanum. Et tamen visus est lepus pedibus suis pulsare super tympanum. Et quid non addiscunt canes? Cibum ori ingestum licet famelicis retinent eousque donec ab hero licentiam edendi obtineant, et similia. Vidi ipse asinum ad numeros saltantem, et per circulum inoffenso pede transilientem : capram supra funes dexterrime ambulantiem. Et hæc bestiae discunt solo pabuli desiderio stimulatae : quid non conari debeat homo, tanta provocatus mercede, in cœlo obtinenda? Quid? Quam multi, putatis, desuescerent a juramentis, si pro singulis eorum omissionibus efferretur illis aureus unus? Cogita ergo tibi decretas in cœlo tot coronas, quot actus pravæ consuetudinis intermiseris.

Quare evigilemus, auditores, et aggrediamur opus : *Abjiciamus opera tenebrarum, et induamus arma lucis.* Etenim si unquam alias, nunc tempus est acceptabile ad exuendum veterem hominem.

Nunc jejunii tempus, nunc frequentes conciones, nunc crebriores comprecationes, nunc dies penitentiae. Utamur his salutaribus pharmacis, ut ita demum cum Salvatore nostro transfigurati, seu in homines alios mutati, audiamus et ipsi vocem Patris nostri cœlestis : *Hic est Filius meus dilectus.*

## CONCIO II.

## QUID ACTUM IN MONTE THABOR.

I. Ibi conclusum est, quod per laborem perveniendum ad gloriam. — II. Beatitudo in cœlo quærenda, non in terra. — III. In omni actione considerandus finis. — IV. Vigilandum illis, qui videre Dei gloriam volunt. — V. Christus audiendus ab omnibus, quia clarefactus a Patre. — VI. Passio ab omnibus Christianis recogitanda.

## THEMA.

*Ecce apparuerunt eis Moyses et Elias cum eo loquentes.* Math. XVII.

Quando electores imperii ad comitia conveniunt, magna jure merito tractari per eos creduntur, nec erit facile, qui eorum decretis ac statutis contraire ausurit. Venit hodie summus cœli et terræ imperator, Deus Pater in montem Thabor quasi ad comitiorum locum una cum Filio Rege regum : et comparent ibi Elias quasi ensifer, Moyses quasi dapifer, tres primarii apostoli quasi tres electores ecclesiastici et orbis archiepiscopi. Magna ergo esse debent, quæ ibi tractata et constituta sunt. Quænam vero illa audiamus.

I. Conclusum, per laborem esse ad gloriam perveniendum. Primo, quod post dies sex, scilicet laboriosos, itum est ad sabbatum transfigurationis gloriosum. Deinde, quia per ascensum deventum in montem excelsum ad spectandam Christi gloriam. Prius ergo laborandum quam quiescendum : prius pugnandum quam spolia dividenda sunt. Quæ causa est, cur Deus non concesserit Hebræis spolia urbis Jericho, Jos. VII. concesserit autem paulo post spolia urbis Hai, c. VIII. quia scilicet hanc manu sua expugnaverunt : illam non item sed Deus subruit muros eorum, præcise ad sonitum buccinantium, quam Deus pro labore non reputavit. Quare cum Achan spolium inde sustulisset, jussit eum deleri ac comburi.

Multi quidem interesse spectaculo beatitudinis volunt, sed laborare, et ascendere nolunt : multi cum Achan spolia auferre licet immeriti desiderant, de quibus Proverb. XIII. dicitur : *Vult et*

*non vult piger.* Ubi S. Hieron. « Recte pigri vocabulo denotatur, qui vult regnare cum Domino, non tamen pati pro eo: delectant præmia cum pollicentur, deterrent vero certamina, cum iubentur. » Regnare vis? Volo, ais: sed vis injusta restituere? Non possum. Vis pellicem abicere? Modo non, sed aliquando, hoc est, vult et non vult piger.

II. Non esse in terra beatitudinem quærendam, sed in cælo. Siquidem Petrus, qui id facere optabat dicens: *Faciamus hic tria tabernacula*, minime auditus est, sed surgere et descendere cum Christo iussus. Terra enim non est locus triumphii, sed certaminis. Duces Romani alibi pugnabant, non nisi Romæ triumphabant, in terra locus pugnae, in cælo locus coronæ est. Ad hæc nimis exigua sunt hujus mundi bona ad cor hominis exsatiandum: unde in hoc transfigurationis spectaculo, una tantum gutta beatitudinis propinabatur apostolis, claritas corporis gloriosi; non alia quam plurima bona. Mundus hic *terra Chabul*, id est, *vilis et lutosa est*, nec digna retributio pro cedris, quam dedit Salomon regi Hiram; qui proinde, ubi egressus eam vidit, contempsit: *Hæccine*, inquit, *sunt civitates, quas dedisti mihi frater?* III. Reg. IX. Utinam etiam mundi amatores egredierentur et viderent, quam vilis sit gloria et merces, quam pro laboribus dat mundus? Aspiciant cælum quam pulchrum et quam vastum sit: *O Israel, quam magna est domus Domini, et ingens locus possessionis ejus!* Baruch. III. Recte dixit Ecclesiastes, cap. II. *Sapientis oculi in capite ejus: stultus in tenebris ambulat.* Quia scilicet hic oculos in pedibus habet, adeoque terram solummodo intuetur et quærit: ille vero cælum. Graviter reprehensæ sunt a Moyse tribus Gad et Ruben, quod in terram promissam, lacte et melle manantem ingredi propter pecora sua detrectarent et in pascuis eis Jordanem remanere vellent, Num. XXXII. Multo magis reprehensione digni, qui cælo neglecto in terra, ubi animales homines pascuntur, requiem suam quærunt. Latro malus in terra requiem quæsivit, ideo illam perdidit et in terra et in cælo. Latro bonus cælum desideravit, ideoque mox invenit. Ille oculos in pedibus, hic in capite habuit: ille stultus, hic sapiens fuit.

III. In omni actioni respiciendum esse finem. Multi multa incipiunt, sed ad finem non respiciunt. Contra hoc est, quod in hac transfiguratione sermocinatio sit de exitu seu fine vitæ Christi. Cum Leopoldus I. Austriacus cogitaret de invadendis Suicensibus, et de ingressu deliberaret cum suis, Jo. Stok, ejus morio, exclamat: *De ingressu cogitatis omnes, nemo de egressu,*

Stumpsius, in chron. anno 1315. Eventus consilium comprobavit, nam ejus equitatus interceptus et cæsus est; ipse vix evasit. Sic Judas quærebat, quomodo opportune Christum traderet, Marci XIV. sed non quæsivit, quomodo ipse laqueum evaderet. Ideo pœnitentia ductus, a Judæis repulsus est cum ludibrio: inde fugit ad templum, restituitque pretium; sed nec ibi effugium reperit: cœurit ergo ad laqueum, ubi omnino perit. Quæsivit opportunitatem, quomodo in scelus intraret, sed non quomodo exiret: unde factum, ut ubique impingeret, et tandem in arbore caput confringeret.

Facile quis homicidium committit, sed difficile expiat. Facile item in asylum post homicidium confugit, sed difficile inde exit, quantæ id molis et sollicitudinis? Quanti laboris est?

IV. Vigilandum esse illis, qui videre Dei gloriam volunt. Etenim apostoli quia initio transfigurationis dormierunt, initium non viderunt, ut habet Lucas; ac nisi excitati fuissent, nec medium nec finem vidissent: ita multi, dum se somno tradunt, Christum negligunt. Quam ob causam tam constanter excubiæ in nostra arce fiunt, cum sciamus hostem procul hinc abesse? Quia nimirum semel ex improvise adventare et nos adoriri posset. Hac de causa S. Henricus imperat. cum ad sepulcrum sui magistri D. Wolfgangi Ratisbonæ orans vidisset sanctum demonstrantem sibi in pariete scripturam: *Post sex, diem sibi sextum fatalem prædici existimans, quamprimum eleemosynis et piis operibus parat se ad mortem.* At ubi illum supervixit, parat se in sextum mensem: postea in sextum annum, quo exacto imperator renuntiatus est. Refert Adelbodus, apud Raderum, in Bav. s. parte I. Ita nimirum sinus de hora in diem, de die in hebdomadam, de hebdomade in mensem, de mense in annum pararemus ad mortem, tunc sane ad transfigurationem cœlestem velut futuri in cælo imperatores feliciter pergeremus. Quare S. Matthæus non sine mysterio ait, Christum post sex dies, a prædictione scilicet transfigurationis suæ ascendisse in montem, ubi transfiguraretur. Idem Dominus cum morti appropinquaret, venissetque Bethaniam, iterum repetuntur sex dies: *Ante sex dies paschæ* Joan. XIII. Sex hi dies sunt laboris, quos sabbatum subsequitur. Tota ergo vita nostra vigilia et labor esse debet, mortisque meditatio, ut ad sabbatum illud gloriæ tandem perveniamus.

V. Christum audiendum ejusque religionem amplectendam ab omnibus, qui non volunt perire. Eum enim Deus Pater clarificavit et demonstravit esse Filium suum adeoque audiendum ab omnibus. Clarificavit autem primo, per

scripturam, maxime per evangelium, quod tot sæculis pro vero et divino habitum, a nullo sive Judæo sive gentili refutatam aut falsitatis redargutum est; quod utique fecissent Judæi, qui tempore Christi et apostolorum vixerunt, Christo infensi si potuissent.

Secundo, per Judæorum dispersionem et exilium tam diuturnum, qui velut vas figuli confracti sparsim jacent, nec unquam coire possunt. Nimirum in pœnam occisi Christi supplicium hoc luunt, juxta verbum Christi, ad instar illius Cain, ob fratris necem profugi. Multos ss. prophetas occiderunt Judæi, nunquam tamen adeo puniti sunt atque ob Christi necem.

Tertio, per idololatriæ eversionem et mundi ad Christum conversionem. Quantum enim et quamdiu restitere ei tyranni ac gentilium tot nationes? Cedere tamen debuerunt, non gladiis, sed verbo Dei et miraculis sanctorum. Vel enim mundus conversus est per miracula Christianorum: et habemus Christum esse audiendum, vel sine miraculis; et hoc ipsum est maximum Christi miraculum.

Quarto, si non Christus ejusque doctrina et religio audienda; quæ alia sectanda, quæ alia tam rationi humanæ conveniens, tam justa, sancta, secunda? Ad hæc vel audies Christum, vel non audies. Si audies, nihil tibi oberit audivisse, etiamsi non sit Deus et judex mundi: si non audies, væ tibi, si sit Dei Filius et judex tuus. Rursus vel vera est ejus doctrina et religio, vel falsa: si falsa, nihil est saltem quod metuas, si eam sequaris; quia ad virtutem et honestatem ducit, ob quam nemo unquam puniri timuit: si vera, væ tibi, si eam non sequaris. Cur ergo in hoc dubio non eligis viam securiorem? Quod si de re parvi momenti quæstio foret, non multum interesset hanc vel illam viam inire, v. g. si de pilei aut pallii amissione tantum ageretur. At si de vita tua et rerum summa agitur, ut hic, nonne obligaris ipso rationis dictamine eligere viam tutiorem, quæ periculis et atrociniis exposita non est? Ipsum ergo audite. Atheos autem et infideles sinite; quia cæci sunt et duces cæcorum.

VI. Passionem Domini nostri omnibus Christianis sedulo meditandam, ac pro ea gratias agendas, maxime hoc tempore quadragesimali. Id statuerunt Moyses et Elias duo magni legislatores, qui de ejus excessu, i. e. passione verba faciebant, appellantes utique eam excessum amoris, humilitatis, liberalitatis, patientiæ, considerata ejus dignitate, hominum vero indignitate et ingratitude. Assuerus rex opera Mardochei servatus ab insidiis duorum eunuchorum, qui necem ei moliebantur, jussit utrumque suspendi,

et obsequium Mardochei referri in annales, eosque sibi prælegi. Tum interrogavit, an quid præmii pro hac fide Mardocheus accepisset? Intellectoque nihil accepisse, jussit eum imponi equo suo, et per urbem circumduci summo cum honore, Esth. VI. Jam si rex in annales refert, et relegit obsequium servi, nonne justius est, ut ipse servus meminerit beneficii, a rege sibi præstiti? Christus a morte nos eripuit, quam machinati sunt nobis dæmones; hoc igitur in annales cordis nostri inscribendum, imo inculpendum est, ut nunquam e memoria excidat. Quod etiam insinuavit ipse Dominus, Luc. IX. cum ad discipulos dixit: *Ponite vos in cordibus vestris sermones istos. Filio enim hominis futurum est, ut tradatur in manu hominum, q. d. inscribite hoc in corda vestra.* Ab ethnico homine ad brutum animal descendamus. Scribit Oppianus, in ixeuticis, apud Gesner. ciconiam in Italia, cum per biennium adverteret pullos suos a serpente, sub tecto hospitante, laniari, se absente et ad pascua avolante, tertio anno adduxit avem peregrinam secum, acuto armatam rostro paulo se breviorum; quæ exclusos pullos absente ciconia custodiret. Hæc itaque avis cum serpente confixit, eumque crebris morsibus tandem occidit: sed vicissim in certamine ita vulnerata et deplumata est, ut nuda prorsus fieret. Quid actum? Quia adveniente autumno illi pennæ succreverant, mansit in ejus gratiam ciconia ultra consuetum migrationis tempus, donec ea pennis vestiretur, et ad volandum vires sumeret, tunc una cum illa discessit. Quis hic plus miretur, an peregrinæ avis beneficentiam? An ciconiæ gratitudinem? Jam vide Dei Filium, qui cum videret nos miseros Adami filios a stygio serpente devorari, e cælo advolavit, et cum serpente illo conflixit: licet eum confecerit, miserrime tamen et ipse vulneratus, imo et enectus est. Recolimus hoc beneficium maxime per quadragesimam. Nonne igitur dæcet, ut tantisper tanto servatori assistamus et condoleamus, donec in resurrectione resumat quasi pennas gloriæ suæ? Exponderunt et fecerunt hoc non pauci: miles ille apud Tertull. de corona militis Godefridus Bullionium, S. Ludovicus, S. Elisabetha, qui ob memoriam passionis Dominicæ coronas, lætitiæ referentes, gestare in capite renuerunt, quod eorum Dominus in suspineam gestasset. Expendit S. Birgitta quæ singulis feriis sextis amarum aliquid masticare ob amarum Christi passionem solita est; expenderunt alii variis aliis modis, uti suo loco dicemus. Expendamus igitur et nos portando hic cur Domino nostro spineam coronam, ut portare ibi mereamur roseam.